

pediat liberam determinationem voluntatis; et ideo quantumcumque efficaciter moveat, semper expectat liberam ejusdem voluntatis determinationem, et quoad hoc, in bono sensu explicato, semper motio Dei præveniens pendet in actuali influxu ab humana voluntate, vel, melius et proprius loquendo, effectus per illam motionem intentus semper pendet ab influxu libero voluntatis.

*Respondetur propositioni quam Cabrera auctori imponit.* — De illa vero propositione: *Providentia Dei voluntatem expectat hominis* (quam mihi imponit Cabrera, licet in meis libris illam non legerit), inquiri potest an possit admitti in aliquo vero sensu, ad quod breviter dicendum est duos posse habere sensus: unus est Providentiam Dei secundum se totam, et quoad omnes effectus, quos in libero arbitrio operatur, expectare determinationem arbitrii, priusquam aliquid circa illud provideat. Et hic sensus erroneus est, et contra illum recte procedit ratio illa, quod inde sequeretur determinationem liberam non esse effectum divinæ providentiæ. Nam ut sit effectus, necesse est divinam providentiam, saltem quoad aliquos actus seu effectus suos, illam antecere, et non expectare. Quod etiam inductione evidens est, quia, ut liberum arbitrium possit hanc determinationem habere, necesse est ut Deus illi det et conservet esse et virtutem ad se determinandum; item necesse est ut vel prædefiniat, vel saltem permittat liberum arbitrium habere talem determinationem; item oportet ut liberum arbitrium habeat paratum concursum per divinam providentiam. Item ad divinam providentiam spectat ut talem determinationem vel præcipiat, vel prohibeat, vel consulat, etc. Qui omnes sunt actus providentiæ independentes a futura determinatione; ergo nullo modo dici potest providentiam Dei secundum se totam expectare hominis determinationem. Cumque hæc vera sint de providentia in tota sua latitudine, in providentia gratiæ et supernaturali haberet majorem amplitudinem et necessitatem; quia necessarium est ut præcedat auxilium Dei præveniens, vel sufficiens, vel efficax, quæ Deus providet ante prævisam absolute determinationem liberam voluntatis, et consequenter illa non expectata.

*In quo fallitur Cabrera.* — Peccat autem vel fallitur ille auctor, si in hoc sensu propositionem illam mihi imponat, ut in sua impugnatione indicat, quia, ut dixi, neque in hoc sensu, neque in alio invenietur propositio illa

in meis libris, neque etiam ex loco quem ille citat, disp. 22 Metaph., sect. 4, colligi potest. Nam ibi, n. 14 et seq. solum assero concursum Dei ad extra, ut actu influit in determinationem liberam voluntatis humanæ, ita esse antea provisum quoad præparationem ejus (ut sic dicam), ut tamen quoad executionem expectet influxum liberum voluntatis humanæ, non quidem prævium, sed concomitantem et simultaneum. Quod est satis certum, ut ex superioribus constat, quia ille concursus Dei, ut ab illo offertur, non est operativus determinationis liberæ se solo, alias determinatio non esset libera; ergo necessaria est cooperatio ejusdem voluntatis. Ex hoc autem actu seu effecto providentiæ, quomodo inferri potest providentiam secundum se totam expectare determinationem liberam voluntatis? Nihil enim aliud id est quam ex uno particulari ad totam collectionem vel distributionem argumentari. Quæ omnia sumi possunt ex eadem sect. 4, præsertim n. 33, ubi diserte explicamus quomodo Deus habeat perfectam providentiam determinationis liberæ voluntatis humanæ, et latius lib. 1 de Auxiliis, cap. 15 et 16, et lib. 2, cap. 7.

*Providentia divina quoad aliquos effectus suos expectat determinationem liberam voluntatis humanæ.* — Alius sensus illius locutionis, est divinam providentiam quoad aliquos actus seu effectus suos expectare determinationem liberam voluntatis humanæ, et in hoc sensu est Catholica propositio et certa. Habetque duplicem modum veritatis. Unus est, quod expectet Deus determinationem solum ut concomitantem et simultaneam, et hoc modo verificatur, tum ratione generalis concursus primæ causæ, tum etiam ratione actualis et specialis influxus cooperantis et adjuvantis, ut satis in superioribus explicatum est. Verumtamen hoc modo non dicitur proprie divina providentia expectare determinationem liberam absolute, sed cum limitato respectu ad liberum arbitrium. Nam determinatio ipsa, ut dixi, manat simul a voluntate et a providentia; ergo non potest providentia expectare absolute determinationem quam facit; potest tamen expectare influxum liberi arbitrii ut simul ipsa influat et faciat cum illo talem determinationem.

Quoad quosdam vero alios effectus suæ providentiæ expectat Deus determinationem hanc ut præviam et præsuppositam; et sic etiam est vera et certa propositio; et absolute

proferri potest non solum de influxu libero voluntatis in talem determinationem, sed simpliciter de ipsa determinatione; probatur inductione, nam punire est actus providentiæ; ut autem Deus provideat efficaciter hunc actum, expectat determinationem liberam voluntatis ad malum, vel ut præscitam, si comparatio fiat ad æternam providentiam, vel ut in tempore factam, si fiat comparatio ad executionem pœnæ. Similiter clare præmium est actus providentiæ, in quo Deus expectat liberam hominis determinationem ad bonum; sic etiam ut justificet et remittat peccata, expectat determinationem voluntatis ad suam conversionem, ut in hoc capite probatum est.

*Præter gratiam prævenientem agnoscit Ecclesia gratiam subsequentem.* — Denique præter gratiam prævenientem agnoscit Ecclesia gratiam subsequentem, quam Deus confert bene utenti priore gratia; ergo necesse est ut supponat determinationem liberam cum priori auxilio, et consequenter ut Deus, ad dandum gratiam subsequentem, expectet bonum usum gratiæ antecedentis. Ratio vero est, quia ad providentiam Dei pertinet ut non eodem modo provideat omnes effectus quos in voluntate operatur, sed in multis expectet dispositionem ejus. Quod per has causales locutiones recte explicari potest, nam Deus quædam providet circa liberum arbitrium, ut libere determinetur, seu determinari possit, et in his Deus non expectat determinationem liberam; alia vero providet quia voluntas libere operata est, et in his expectat determinationem ejus. Operatur denique ipsamet determinationem seu actum liberum, et in hoc etiam expectat ipsam voluntatem ut secum libere influat in eundem actum seu determinationem.

## CAPUT VII.

GRATIAM PRÆVENIENTEM NON SOLUM IN INTELLECTU, SED ETIAM IN VOLUNTATE ESSE, JUXTA SENTENTIAM DE VOCATIONE CONGRUA.

*Tres alii errores auctori tribuuntur ab adversariis.* — Præter refutatos errores, tres alios nobis attribuunt defensores prædeterminationis physicæ. Primus est gratiam prævenientem solum esse in intellectu et cognitione. Secundus est, eandem prævenientem gratiam tantum movere voluntatem per objectum cognitum. Tertius est, nos non ponere præve-

nientem gratiam, quæ sufficiat movere proprie voluntatem, trahere illam, et facere ut velit. Unde M. Davila, Proœm., pag. 2: *Non datur, inquit, juxta hanc sententiam gratia, quæ sit prævia operando in voluntatem. Item aiunt divinum auxilium hominis voluntatem non movere, sed opus illius etiam Deum ex parte operari*; et alibi, cap. 14, p. 152: *Illam (scilicet gratiam prævenientem prout a nobis ponitur) duntaxat intellectum illuminat, et a foribus voluntatem salutat*; et hinc alio loco infert, cap. 22, p. 264, *piam operationem voluntatis non fieri in nobis per infusionem et cooperationem Spiritus Sancti. Quia Deus, inquit, per medium objectum bonum quod proponit, illius assensionem non facit, sed ad eam invitatur, ut sua sola velit et consentiat libertate*; et infra, cap. 23, p. 286 et 294: *Illud igitur objectum, cum possimus illud pro libito a nobis rejicere, nullatenus per infusionem et operationem Spiritus Sancti facit nobis ut relinamus a peccato purgari*; unde ulterius progreditur, et de nobis dicit, cap. 41, pag. 404, *eosdem Theologos negare, præter prædicationem, exhortationem et propositionem ex parte objecti, necessariam esse Spiritus Sancti inspirationem et illuminationem*; et alibi ait, capit. 49, p. 240, nos dicere *cum qui se ultimo ad gratiam disponit, absque ulla inspiratione prævia præmovente operari*; et alibi, cap. 22, p. 261: *Ponunt (dicit de nobis) auxilium sufficiens quod potentiam juvet, sed velle non donat, neque operatur.*

*Predicta omnia per suas illationes auctori tribuunt.* — Gratia præveniens intellectum et voluntatem afficit. — Verumtamen hæc omnia per suas illationes nobis attribuunt, non quia hujusmodi propositiones et errores in nostris libris invenerint; nam in eis potius contraria et Catholica doctrina ex professo tradita et fundata est; illationes autem illas et nullius momenti esse ex sequentibus fiet manifestum. Nam imprimis quod gratia præveniens, seu divina vocatio, non solum efficax, sed etiam sufficiens in intellectu et voluntate sit, et utramque potentiam proxime afficiat, et suo modo disponat, certa est et indubitata doctrina. Nam de intellectu sunt vulgaria Scripturæ testimonia: *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, et similia; de voluntate autem sunt illa: *Præparatur voluntas a Domino*, cum similibus, et aliis quibus Deus dicitur non solum aperire cor, sed etiam tangere. Quia nomine cordis præcipue intelligitur voluntas, et licet verbum *aperire* possit refer-

ri vel ad gratiam concomitantem, vel ad vocationem efficacem, tamen *tangere* proprium est gratiæ excitantis, et commune tam sufficienti quam efficaci excitationi. Quod etiam confirmat illud Apoc. : *Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit, intrabo ad eum*. In quibus verbis considerare licet ad eandem facultatem pulsare Deum, ad quam pertinet aperire; voluntas autem est per quam Deo patet ingressus; ergo ad illius ostium stat Deus, et illam pulsat et tangit.

*Justificatio incipit per vocationem.*—Deinde idem constat ex Conciliis, nam Tridentinum, sess. 6, c. 5, docet per vocationem incipere justificationem: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem*. Dices, potius his verbis significare, tactum illum, solum esse ab Spiritu Sancto per illuminationem intellectus. Tamen hoc nihil obstat; nam licet ille tactus necessario incipiat ab illuminatione, quia non potest voluntas moveri nisi præcedat intellectus cogitatio, non tamen dicit Concilium operationem Spiritus Sancti sistere in illuminatione, sed potius sentit per illam progredi ad motionem voluntatis, quam statim *inspirationem* appellat, dicens hominem cooperari *inspirationem illam recipiendo*. Et eodem sensu ait in can. 3 hominem non posse supernaturales actus elicere, *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione*; et can. 4, supponit liberum arbitrium per vocationem Dei moveri et excitari, quod non fit sine propria et immediata affectione in ipsam voluntatem. Atque eadem veritas colligitur ex Concilio Arausicano secundo, ubi sæpius definit necessariam esse Spiritus Sancti inspirationem et illuminationem, præsertim can. 5, ibi: *Per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem*; et can. 7: *Ut hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitemur*; et can. 7: *Absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, etc.*

*Augustinus quomodo explicet prævenientem gratiam.*—Hanc præterea doctrinam tradit sæpe Augustinus, qui hoc modo explicat prævenientem gratiam, qua Deus præparat voluntatem, per sanctam cogitationem, quæ ad intellectum pertinet, et ejusdem voluntatis suavem motionem, quam vocavit *rictricem delectationem*, lib. 2 de Peccatorum meritis et remissione, cap. 17, et hoc modo ait, Deum

operari in nobis ut velimus, lib. de Gratia et lib. arb., c. 16 et 17, et q. 2 ad Simplician., et lib. de Prædest. Sanctor., c. 6 et 8, et sæpe alias. Ut ostendimus etiam lib. 3 de Auxiliis, cap. 3 et 4, Augustin. imitantur D. Prosper, lib. 2 de Vocatione gentium, c. 9, alias 29; Fulgent., l. 1 ad Monimum, c. 8; et Bernard., libr. de Grat. et liber. arbitr.; et consentiunt scholastici, ut videre licet in Vega, lib. 6 in Trident., c. 8.

Oportet tamen advertere, præsertim in Bernardo supra, aliquando motionem omnem gratiæ excitantis comprehendit sub solo nomine *sanctæ cogitationis*, quia ex illa statim nascitur simplex affectio, quæ est quasi primus motus voluntatis. Ille autem motus non fit sine propria et immediata operatione Spiritus Sancti in ipsam voluntatem, quia est motus supernaturalis ordinis. Et hæc est ratio a priori hujus necessitatis. Nam sicut intellectus elevatur ad elicendum supernaturalem actum perfectum, et ideo indiget prævia cogitatione ejusdem ordinis, et Spiritus Sancti illustratione, ut paulatim eleveatur, ita voluntas erigitur et sublevatur, ut elicere valeat perfectum supernaturalem consensum, et ideo prius debet supernaturaliter excitari, et saltem imperfecte, et quasi inchoative affici, ut ita tandem valeat ad perfectum perduci. Atque in hoc sensu dicitur in libro de Ecclesiast. dogmatibus, cap. 20: *Manet ad quærendam salutem arbitrii libertas, sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem, et ita initium salutis nostræ Deo miserente habemus*.

*Qua ratione possit Deus liberum arbitrium efficaciter perducere ad consensum.*—Hæc autem veritas optime convenit cum modo efficacitæ vocationis congruæ. Nam quia Deus per suam gratiam prævenientem non solum intellectum illuminat, sed etiam voluntatem afficit, aut terret, ut dixit Prosper loco citato, ideo potest liberum arbitrium efficaciter perducere ad consensum, præstando præviam cogitationem et suavitatem, vel alium similem affectum, ex modo quem sua infinita sapientia novit accommodatum ad effectum obtinendum. Hic enim efficacitæ modus nullam repugnantiam habet cum dicta præmotione voluntatis, et alioqui est accommodatus libertati arbitrii, et suavitati divinæ providentiæ. Et ideo Augustinus semper illum secutus est, ut patet ex citatis locis, præsertim illa quæst. 2 ad Simplicianum, et lib. de Prædest. Sanct., a c. 13 usque ad 19, et lib. de Spirit. et litt., c. 34, et epistol. 107. Quocirca, quamvis hæc

sententia neget voluntatem nostram physice prædeterminari per gratiam prævenientem, non propterea negat voluntatem ipsam in se immediate moveri per gratiam prævenientem; quia hæc duo diversa sunt, et hoc posterius optime consistere potest sine illo priori. Nam illi motus indeliberati præcedunt liberum consensum, et ipsi de se, et natura sua non determinant liberum arbitrium ad unum, ut in cap. 2 ex omnium consensu posuimus; ergo, sive postea sequatur physica determinatio voluntatis, sive non, ratione illorum motuum vere dicitur gratia prævens immediate agere in ipsam voluntatem. Imo, ut supra insinuavi, dici potest Deus non solum moraliter, sed etiam physice in illam agere, quia, licet ad consensum moraliter moveat, physice tamen efficit in voluntate ipsum indeliberatum motum.

*F. Davila, in suo lib., c. 19, p. 238; c. ult., p. 436.*—*Illuminatio et inspiratio pertinent ad vocationem.*—At vero qui nobis contrariam doctrinam imponunt, videntur supponere sacra Concilia per Spiritus Sancti inspirationem non intelligere motum aliquem indeliberatum voluntatis, sed ipsummet consensum liberum, quem dicunt prius inspirari a Deo, quia physice prædeterminat voluntatem ad ipsum præstandum. Itaque nomine inspirationis physicam prædeterminationem intelligere videntur. Sed est voluntaria intelligentia et plane nova, quia Doctores antiqui non ita intellexerunt inspirationem Spiritus Sancti. Et revera est falsa et contra mentem Conciliorum et Patrum. Nam Concilium Tridentinum, dicto c. 5, tam illuminationem quam inspirationem pertinere dicit ad vocationem et exordium salutis; determinatio autem liberi arbitrii ad consensum, sicut et consensus ipse, non ad salutis initium, sed jam ad salutem ipsam spectat, ut recte dixit Bernardus, lib. de Grat. et lib. arb.

Unde subdit idem Concilium in potestate liberi arbitrii esse inspirationem illam recipere et abjicere. At vero juxta sententiam eorum qui determinationem physicam a Deo ponunt, non est in potestate liberi arbitrii eam abjicere si semel eam recipit, quia non potest illi non consentire, illa supposita, ut infra etiam ostendemus; neque etiam illa fuit proprie in potestate liberæ voluntatis, quia solum passive illam recipit, potestas autem libera est ad agendum, et ideo Concilium Tridentinum supra docet liberum arbitrium aliquid agere, illam inspirationem recipiens; ergo

per inspirationem non intelligit determinationem liberi arbitrii, sed præviam excitationem et affectionem. Ac propterea Augustinus, et ex eo Concilium Arausicanum docent per hanc inspirationem præparari voluntatem a Domino; nec dicunt determinari, sed præparari, ut cum adjuvante gratia operetur consensum. De quo videri potest Augustinus, l. 2 contra duas epistolas Pelagianorum, c. 8, et dict. q. 2 ad Simplicianum. Non est ergo bona dicta illatio: Deus per prævenientem gratiam ipsi voluntati bonum inspirat, in illam immediate bonum aliquem motum efficiendo; ergo physice sola sua virtute determinat voluntatem ad consensum; vel e contrario: Deus non efficit talem physicam prædeterminationem; ergo non habet propriam et veram efficientiam prævenientis gratiæ in voluntatem; neutrum enim sequitur, ut ex dictis constat.

*Instantia.*—C. 7, p. 52 et 53; c. ult., p. 436.—Sed instare possunt, quia gratia prævens eadem est quæ gratia operans; at gratia operans non dicitur quia efficiat præviam aliquam motionem, sed quia efficiat ipsummet consensum voluntatis, præmovendo illam realiter ac physice. Nam in hoc convenit gratia operans cum gratia cooperante, quod realiter et physice facit consensum, sicut illa; et in hoc ab illa differt, quod agit præmovendo, et prædeterminando; ergo si gratia prævens non efficit immediate consensum, non est gratia vere operans in voluntate, contra distinctionem Augustini de gratia operante et cooperante, satis receptam in Conciliis Arausicano et Tridentino.

*Respondetur ad instantiam.*—Respondemus primo concedendo gratiam operantem et prævenientem eandem esse, et negando gratiam operantem, ut sic, seu ut prævenientem, efficere immediate ipsum consensum. Nullibi enim hoc Augustinus dixit, sed per vocationem ait Deum operari in nobis ut velimus, dict. quæst. 2 ad Simplicianum; ostensum autem est vocationem, ut sic, seu ut prævia est, non efficere immediate consensum, sed excitare ad illum. Unde cum dicitur gratia operans et cooperans in hoc convenire quod physice operantur, ut illud sit verum, intelligendum est respective, id est respectu proximi termini uniuscujusque gratiæ. Nam gratia operans proxime efficit tactum cordis, gratia vero cooperans proxime efficit ipsum consensum, et ita in hoc conveniunt, quia utraque physice facit suum proximum ter-

minum in voluntate. At vero in ordine ad ulteriorem finem, seu terminum, comparari non possunt, nam gratia operans ordinatur ad ulteriorem terminum, scilicet, consensum; gratia vero cooperans per se non ordinatur ad ulteriorem actum seu terminum præter consensum, seu illum actum humanum et supernaturalem quem facit, unde respectu talis termini gratia operans non ideo sic appellatur, quia faciat physice ipsum consensum, præcipue determinando liberum arbitrium ad illum, sed quia moraliter ad illum inducit, ut sæpe tactum est et iterum statim dicemus.

*Respondetur secundo.* — Secundo, respondemus non defuisse Theologos graves qui, nomine gratiæ operantis, intellexerunt gratiam illam quæ immediate influit in ipsum consensum voluntatis, seu influxum ipsum Dei in talem consensum, quod sensit D. Thomas 1. 2, quæst. 111, art. 2, et secuti sunt Thomistæ et plures alii; qui tamen (quod ad præsens attinet) solum in usu vel interpretatione vocis gratiæ operantis a nobis differunt, quia non negant ante illam gratiam operantem dari gratiam prævenientem immediate receptam, non solum in intellectu, sed etiam in voluntate, eamque efficientem et inclinantem. Neque etiam negant hanc gratiam recte dici operantem, quia per illam operatur Deus in nobis sine nobis. Item non dicunt illam gratiam operantem sua innata virtute potius efficere se sola determinationem voluntatis ad consensum, sine influxu liberi arbitrii; nulli enim hoc reperitur in D. Thoma, vel in antiquis ejus discipulis; sed vocant illum influxum gratiam operantem, vel quia in primo consensu supplet efficientiam habitus, vel quia movet voluntatem ad primam intentionem finis, ut statim dicam. Unde juxta illam interpretationem non datur gratia operans ad omnes actus bonos et supernaturales, sed vel ad primum consensum seu actum, quem voluntas operatur sine habitu, nam quando operatur ex habitu ipse habitus supplet necessitatem gratiæ operantis; vel etiam dicitur gratia operans dari ad intentionem finis; nam ad electionem mediorem ipsa intentio etiam supplet efficientiam operantis gratiæ.

Hinc autem intelligere licet Augustinum et Concilium Arausicanum non fuisse locutos in hoc sensu de gratia operante; nam juxta illorum doctrinam, non solum ad primam conversionem, vel intentionem finis, sed absolute ad omnes actus supernaturales requiritur gra-

tia operans quam Concilium Tridentinum excitantem appellavit. Neque solum ad actus producendos ab habitibus, vel ad electiones quæ fiunt ex intentione finis, sed etiam ad primam conversionem, et intentionem finis requiritur gratia cooperans, quam Concilium Tridentinum adjuvantem vocavit, unde Concilium Arausicanum, can. 9, sumpto ex lib. sententiarum Augustini, sent. 22: *Quoties, inquit, bonum operamur, Deus in nobis* (scilicet per operantem gratiam) *atque nobiscum* (scilicet per cooperantem gratiam) *ut operemur operatur*; et Augustinus, lib. de Grat. et lib. arb., c. 7: *Quis, inquit, istam etsi parvam dare cæperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*; et infra: *Ut ergo velimus sine nobis operatur*, scilicet, sine nobis libere cooperantibus; quia tunc nondum volumus, sed excitamur ut velimus, et ideo subjungit: *Cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo, vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona opera pietatis nihil valeamus*. Ubi illæ duæ particule *vel*, licet per modum disjunctivum ponantur ad distribuenda hæc munera gratiarum, sensum tamen reddunt copulativum, quatenus utriusque gratiæ munus ad opera pietatis necessarium est.

Ex quibus omnibus constat primo, licet juxta modum loquendi dictorum scholasticorum, ad primam conversionem et intentionem finis concurrat physice et efficienter gratia operans, peculiari illa acceptione ab eis tradita, nihilominus ante illam prærequiri aliam gratiam operantem in eadem voluntatem, et moraliter eam inducentem, et trahentem ad consensum, si efficax sit. Quoniam per illos actus intentionis finis, aut primi consensu voluntas libere et supernaturaliter vult; quoties autem voluntas sic vult, præcedit illa gratia, juxta doctrinam Augustini relatam, et juxta doctrinam Concilii Tridentini de necessitate gratiæ excitantis ad hos actus; et ideo in illis etiam locum habet doctrina superius data.

*Dei influxus immediate datus ad primam conversionem reipsa est gratia cooperans.* — Constat secundo ex dictis illum eundem Dei influxum, immediate datum ad primam conversionem et intentionem finis, quem peculiari consideratione sua D. Thomas gratiam operantem vocavit, reipsa esse gratiam cooperantem juxta modum loquendi Augustini.

Quod intellexisse videtur Soto, lib. de Nat. et grat., c. 16, versus finem. Non debet tamen ita intelligi, ut in re ipsa duplex sit ac distinctus influxus Dei physice et immediatus ad talem actum, scilicet, intentionem finis, id enim nec necessarium est nec intelligibile. Quia effectus et terminus Divinæ efficientiæ in eo actu unicus et simplex est, et ita unicus et simplex est influxus, et una actio. Solum ergo intelligi debet duplex consideratio seu respectus rationis, a quo illemet influxus Dei duas illas denominationes recipit; dicitur enim cooperans, quatenus simul cum libero arbitrio operatur; operans vero appellatus est a dictis auctoribus, vel quia tunc homo non movetur per propriam consultationem, et ex principiis a se comparatis (quomodo dici solet primum motum liberum voluntatis, etiam ordinis naturalis, tribui auctori naturæ, juxta modum loquendi D. Thomæ 1. 2, q. 9, art. 4), vel certe vocatur illud auxilium gratia operans, quatenus supplet vicem principii intrinsece superadditi voluntati per modum habitus, aut per modum inclinationis vel intentionis finis.

Atque intelligitur tertio quod supra dicebamus, gratiam operantem, hoc peculiari modo acceptam, non prædeterminare physice voluntatem ad conversionem, etiamsi physice et immediate efficiat ipsam conversionem, quia nihil in voluntate facit sine ipsa voluntate libere cooperante. Igitur ita appellatur gratia operans, ut tamen in se nihil operetur nisi cooperando, quod repugnat prædeterminationi physice, quæ ita ponitur ut fiat a sola gratia sine cooperatione liberi arbitrii, ut c. 3 ostendi.

Quarto, constat ex dictis gratiam operantem, juxta propriam Augustini mentem et significationem, esse re ipsa diversam ab actu libero etiam primæ conversionis vel intentionis finis, tanquam principium ejus, quod potest etiam tempore antecedere, et nihilominus esse intrinsece, non solum in intellectu, sed etiam in voluntate, eo modo quo de gratia præveniente dictum est, nam in re idem sunt, ut latius diximus, lib. 3 de Auxil., c. 5.

## CAPUT VIII.

REFELLUNTUR ALII ERRORES QUI EX SENTENTIA DE Vocatione CONGRUA MALE INFERUNTUR.

*Refelluntur alii errores.* — *Primus error.* — Ex dictis etiam in superiori capite facile

refelluntur alii errores insinuati in verbis illorum auctorum quæ in principio capitis præcedentis posuimus. Primus est non dari gratiam præviam quæ operetur in voluntatem eam movendo. Cum enim negatio omnia post se destruat, constat illam propositionem esse falsam et falso impositam: licet non detur gratia operans eo modo movens quo adversarii illam concipiunt, id est habentem per se ipsam totam vim et efficaciam ad determinandam voluntatem, nihilominus potest dari gratia prævia aliis veris et miris modis operans in voluntate, ut Augustinus dixit. Cum ergo hoc posterius nos fateamur, et ex professo probemus, falsum est nos negare gratiam præviam operantem in voluntate.

*Secundus error.* — *Bellarminus, l. 1 de Grat. et lib. arb., c. 2; Molina, disp. 8, q. 36 et 38, art. 13, et disp. 1, q. 23; et nos, lib. 3 de Auxiliis.* — Secundus error est divinum auxilium non movere voluntatem hominis, qui nec in nostris libris reperitur, nec sequitur ex illo principio quod negemus auxilium physice prædeterminans. Quia sicut de gratia operante dicebamus, ita de motione voluntatis dicendum est, secluso illo genere præmotionis physice determinantis arbitrium, posse dari aliud genus motionis, quo Deus solus vere movet voluntatem alliciendo illam, vel terrendo, vel suavitate replendo, et in hoc sensu contrariam veritatem ex professo docemus, scilicet, Divinum auxilium movere hominis voluntatem. Dicti vero auctores nolunt hoc satis esse ut dicatur Deus movere voluntatem motione prævia, nisi talis sit, quæ re vera excludat usum libertatis, cum tamen sancti Patres et Theologi dicant Deum per hos motus indeliberatos excitare voluntatem, tangere et trahere cor, et similia, quæ plane significant motionem aliquam.

Dicent fortasse Deum quidem movere voluntatem per hos affectus, non tamen movere ad consensum, sed solum ad illum motum indeliberatum, quem physice efficit, et ideo merito nobis tribui, quod negemus motionem Dei ad consensum. Sed imprimis etiam illud quod assumitur falsum est et alienum a communi modo loquendi Sanctorum, præsertim Augustini, in locis sæpe citatis, maxime quæst. 2 ad Simplic., ubi declarat, per has prævias motiones Deum facere ut velimus, non propter physicam prædeterminationem, sed propter efficaciam vocationis, si congrua sit, vel quoad sufficientiam tantum si sit inefficax. Et apud philosophos præsertim mora-